

Order of Saint Lazarus: Primary sources

Sixtus IV, Pope of Rome. Bullae Papae Sixtus IV: Licet singula ecclesia ac hospitalia..... dated 16th August 1479. Original document lost; compilation document in register on paper. Archivio Segreto Vaticano (Vatican), Registro Vaticano 547, fol. 77 retro - 80

- Transcribed in: R. Hyacinthe. L'Ordre de Saint-Lazare de Jérusalem au Moyen Age. Études & Communication Édition, Bez-et-Esparon, 2003, +253p. [doc. XIII] [ISBN: 2911722205]

Sixtus etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Licet singula ecclesie ac hospitalia aliaque pia et religiosa loca per universum orbem constituta Sedi apostolice que super illa obtinet divina dispositione primatum sunt subjecta, ipsa tamen Sedes non nulla ex eis ipsorumque personas sibi aliquando specialiter subdit illa a quorumlibet aliorum eximens potestate prout cause rationabiles suadent, et id in Domino conspicit salubriter expedire.

Sane pro parte dilectorum filiorum Wilhelmi magistri et fratrum domus sive hospitalis de Burton Ordinis militie Sancti Lazari Jerosolimitani in Anglia Lincolnensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet domus sive hospitale huiusmodi a domo de Boigniaco dicti Ordinis Aurelianensis diocesis in Francia dependere et illi subjici dicatur, ac magister et fratres eiusdem domus de Boigniaco in magistrum et fratres dicte domus de Burton aliquam superioritatem hinc alias pretenderint, tamen ipsi magister et fratres domus de Burton ab octuaginta annis vel circa ab omni obedientia et subiectione quacumque domus de Boigniaco predice pro liberis se gesserint et gerunt de presenti ipseque domus ab invicem adeo distant quod si magister et fratres domus de Burton huiusmodi ad dictam domum de Boigniaco pro singulis expediendis retinere haberent fructus redditus et proventus eiusdem domus de Burton vix ad id sufficerent, idque absque periculo personarum et bonorum suorum comode facere non possent cum a multis temporibus inter Anglicos et Francigenos guerre et dissensiones viguerint.

Quare pro parte corundem Wilhelmi magistri et fratrum assentium quod, felicis recordationis Nicolaus papa V predecessor noster dilectis filii magistro et fratribus domus Sancti Antonii Londoniensis Ordinis Sancti Augustini similem gratiam concessit, nobis fuit humiliter supplicatum ut domum ipsam de Burton illiusque magistrum et fratres, sacerdotes, clericos, scolares, pauperes, famulos, ministros et alias personas quascumque utriusque sexus, presentes et futuros, ac bona res membra et loca quecumque ad predictam domum de Burton quolibet spectantia presentia et futura, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ab omni tam spirituali quam temporali jurisdictione, dominio, potestate, visitatione, coheritione, subiectione, jure, obedientia, dispositione et superioritate quibuscumque, tam magistri et fratrum domus de Boigniaco huiusmodi pro tempore existentium, quam quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, judicium, ordinariorum et aliorum quorumlibet quacunque auctoritate fungentium eorumque officialium, penitus eximere et totaliter liberare aliisque impremissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur quieti et tranquillitati magistri et fratrum domus de Burton ac sacerdotum, clericorum, scolarium, pauperum, famulorum, ministrorum et aliarum personarum huiusmodi providere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prefatam domum de Burton illiusque magistrum, fratres, sacerdotes, clericos, scolares, pauperes, famulos, ministros et alias personas quascumque, utriusque sexus, presentes et futuros, ac bona res membra et loca quecumque ad predictam domum de Burton quolibet spectantia presentia et futura, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ab omni tam spirituali quam temporali jurisdictione, dominio, potestate, visitatione, coheritione, subiectione, jure, obedientia, dispositione et superioritate quibuscumque, tam magistri et fratrum domus de Boigniaco huiusmodi pro tempore existentium, quam quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, judicium, ordinariorum et aliorum quorumlibet quacunque auctoritate fungentium eorumque officialium apostolica auctoritate ex certa scientia perpetuo penitus eximimus et totaliter liberamus. Ac domum de Burton, magistrum, fratres, sacerdotes, clericos, scolares, pauperes, famulos, ministros et alias personas ac bona res membra et loca huiusmodi ad jus et proprietatem Beati Petri et Sedis predicte, ac sub illorum et nostra protectione speciali et inmediate suscipimus et eidem Sedi dumtaxat et sine aliquo medio subiecta fore et censer debere decernimus.

Itaque patriarche, archiepiscopi, episcopi, judices, magister et fratres domus de Boigniaco, ac officiales prefati etiam ratione delicti contractus vel rei de qui agitur ubicumque committatur delictum oriatur contractus, aut res ipsa consistat in domum de Burton eiusque magistrum, fratres, sacerdotes, clericos, scolares, pauperes, famulos, ministros et alias personas quascumque utriusque sexus. Infra limites eiusdem

Order of Saint Lazarus: Primary sources

domus de Burton aut alicuius parcellae ciudem habitantes seu commorantes bona res membra et loca huiusmodi, seu eorum aliquem excommunicationum suspensionum et interdicti aliasve sentencias censuras et penas promulgare aut jurisdictionem potestatem seu superioritatem aliquam exercere non possint, nec debeant quoquomodo, decernentes omnes et singulos processus sententias censuras et penas quos et quas contra tenorem presentium haberi vel promulgari. ac totum id et quicquid secus a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit irrita et inania nulliusque existere firmatis et nihilominus auctoritate et scientia predictis perpetuo statuimus et ordinamus.

Ac etiam decernimus et declaramus quod quecumque et qualitercumque predictam domum de Burton vacare contigerit, illa absque eo quod cessio, resignatio, renuntiatio sive dimissio de illa pro tempore facienda per Romanum Pontificem, seu quocumque alium admittatur seu admitti debeat vacet; et quotiens domum ipsam de Burton quovis modo et qualitercumque vacare contingat, fratres eiusdem unum ex se ipsis in illius magistrum inter se communiter eligere possint, qui sit electus absque ulla sue electionis confirmatione venus et indubitatus eiusdem domus de Burton magister, ac pro tali ab omnibus tentus habitus et reputatus existat ipsiusque domus de Burton curam regiminem et administrationem plenariam in spiritualibus et temporalibus gerere et exercere valeat in omnibus pacifice et quiete.

Et insuper magistro dicte domus de Burton pro tempore existenti ut quoscumque alios in ipsis domus sive Ordinis frates recipere et admittere ciusque et cuilibet ipsorum habitum iuxta ciudem domus de Burton consuetudinem imponere et exhibere libere et licite valeat. Ipsique magistro et fratribus ac singulis personis dicte domus de Burton pro tempore existentibus, quod ipsi omnibus et singulis privilegiis, prerogativis, libertatibus, indulgentiis, gratiis et indultis magistro et fratribus domus de Boignaco huiusmodi ac olim hospitali sive domui Ordinis militie eiusdem Sancti Lazari Jerosolimitani, eorumque singulanbus personis per Sedem apostolicam vel aliis quolibet in generale vel in speciale concessis et in antea concedendis et quibus ipsi quolibet utuntur et gaudent aut uti et gaudere poterunt quolibet in futurum etiam uti et gaudere valcent concedimus et indulgemus.

Preterea venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Cantunensis et Londoniensis ac Rossensis episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa omnia et singula ubi quando et quotiens opus fuerit solemniter publicantes, ac magistro et fratribus domus de Burton, sacerdotibus, clericis, scolaribus, pauperibus, famulis, ministris et aliis personis hujusmodi efficacis defensionis auxilio assistentes non permittant eos contra tenorem presentium per quempiam quolibet impediri seu etiam molestari contradictores et molestatores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia juris remedia appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus pie memoria Innocentii pape IIII et predecessoris nostri circa exemptos que incipit • Volentes • et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus necnon privilegiis et indultis a Sede predicta seu alias quolibet sub quacunque verborum forma magistro et fratribus domus de Boignaco huiusmodi concessis, ipsorumque domus de Boignaco et Ordinis statutis consuetudinibus stabilitimentis usibus et naturis iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis quibus omnibus et si de illis ac eorum totis tenoribus specialis specifica et expressa huiusmodi mentio habenda foret hac vice dumtaxat, eis aliis in suo robore permansuris, specialiter et expresse auctoritate et scientia similibus derogamus contraria quibuscumque, aut si magistro et fratribus domus de Boignaco ac patriarchis, archiepiscopis, episcopis, judicibus, ordinariis et officialibus huiusmodi vel quibusuis aliis, communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod magister eiusdem domus de Burton pro tempore existens ac fratres domus predicte cuius magisterii fructus, redditus et proventus tricentorum et quinquaginta florenonum auri de Camera secundum communem estimationem valorem annum non excedunt, ex quibus idem magister quatuordecim pauperes leprosos dietim substantiare seu illis certam pecunie summam pro eorumdem pauperum vite necessaris singulis septimanis solvere tenetur, in recompensam primorum fructuum. Nec non quoniamcumque alionum onerum temporibus vacationum dicte domus ratione confirmationis aut provisionis in magistros dicte domus electos sive eligendos, ac in signum dicte immediate subiectionis nobis et Sedi predicte duodecim florenos similes et non ultra collectori fructum, redditum et proventuum Camere apostolice in regno Anglie debitorum pro tempore existent annis singulis in festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi absque contradictione aliqua solvere teneantur. Nulli ergo etc. nostre exemptionis, liberationis, susceptionis, constitutionis, decreti, statuti, ordinationis, declarationis, concessionis, indulti, mandati, derogationis et voluntatis infringere etc. Siquis etc.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, anno etc. MCCCC LXXXVIII^o, sexto decimo kalendis Augusti, pontificatus nostri anno octavo.